



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno 429. Usque Ad Annum 483

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1759

VD18 90117816

§. 20. Arbitrium Tyriense.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66052](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66052)

idcirco pœnam Depositionis incurrisse. Sæculum V. A. C. 448.
 Uranius cum Presbyteris Eulogio, & Mara, aliisque Ibæ accusatoribus Constantinopolim se contulerunt, junxeruntque se Samueli, & Cyro; tum oblato Imperatori libello supplice, alios Judices Loco Domni, qui suspectus esse mereretur, petierunt; & obtinuerunt etiam litteras, quibus ipsi Uranio, cum Photio, Episcopo Tyriensi, & Eustathio, Episcopo Berytensi demandabatur, ut de Actione, quam contra Ibam Samuel, Cyrus, Maras, & Eulogius movebant, cognoscerent. Conc. Calc. Act. 9. p. 628.
 Hujus Edicti Bajulus fuit Damascius, Tribunus, & Imperatori ab Epistolis, idque ipsi speciatim septimo Kalendarum Nov. Constantinopoli, nempe 26. Octobr. mandatum. Si bene conjicio, annus 447. fuit. Damascius Episcopum Uranium, Diaconum unum Constantinopolitanum, cui nomen Eulogius, ab Episcopo Flaviano missum, Delatores Ibæ, scilicet quatuor illos ex Mesopotamia Presbyteros, & aliquot Monachos, secum adduxit.

p. 637.

§. XX.

Arbitrium Tyriense.

Ubi Tyrum pervenerunt, Photius, & Eustathius Imperatoris mandatum receperunt, protuleruntque Ibæ Adversarii plura accusationis capita, cœteris ve-

ro

Sæculum V.
A. C. 448.

ro gravior erat articulus contra fidei
Quippe affirmabant, Ibas esse Nesto-
rianum, atque publice in Ecclesia dixisse
*Non invideo Jesu Christo, quod factus
fuerit Deus*; id autem Ibas se dixisse
juramento negabat, & coram testibus
se esse Catholicum. Actores tres
non plures, testes producebant, quos
Ibas, quia cum ipsis habitabant, recula-
bat; obstrepentes, & motus non absque
populi scandalo cientes, Photius urbis
exire jussit, cumque in eorum accusatio-
nibus solidum fundamentum non per-
spicerent, ipse, & Eustathius, deposita ju-
diciis, Persona, Arbitros se præbuerunt,
& permoverunt Partes, ut transactio-
nem inirent, cujus Acta quinto Kales-
das Martii, Zenone, & Posthumiano
Consulibus, Indictione prima, juxta Ma-
cedones anno Alexandri 574. decima Fe-
ritii, id est, 25. Febr. anno 448. conscri-
pta sunt.

p. 268.

In hac Transactione dicitur Ibas For-
mulam Fidei tradidisse, sua manu scri-
ptam, in qua promisisset, in orationibus
suis ad populum nihil dicturum, quod
Orthodoxorum Doctrinæ conforme non
esset, seque claris verbis Nestorium,
cum omnibus illis, qui ejus Sermones,
aut libros legunt, anathematizaturum.
Ipsam etiam declarasse, quod Fides sua
conformis sit litteris Reconciliationis

inter

inter Joannem Antiochenum, & S. Cyril-
 lum, Auctore Paulo Emefeno, initæ; A. C. 448.
 quod omnia Decreta Concilii Ephesini,
 tanquam Congregationis, quam Spiritus
 S. rexisset, recipiat, atque hoc Con-
 cilium Nicæno æquale sine ullo discrimi-
 ne æstimet. Præterea Ibam promississe,
 omnia, quæ facta essent, se oblivioni tra-
 diturum & impostero Delatores suos
 filiorum loco habiturum, sicut econtra
 etiam ipsi spondissent, se Ecclesiam cum
 Iba adituros, atque honorem Patri debi-
 tum, amoremque exhibituros. Quod si
 tempore futuro crediderit, ex merito in
 Samuelem, Cyrum, Maram, aut Eulo-
 gium severius animadvertendum, non suo
 solum arbitrio puniat, sed Concilium
 Domni Archiepiscopi adhibeat. De-
 mum, quia Ibas inculpabatur, quod red-
 ditus, & oblationes, Ecclesiæ factas, in
 usus illicitos converteret, condixit, se
 consuetudinem Ecclesiæ Antiochenæ se-
 cuturum, & Ecclesiæ suæ Bona œcono-
 mis, quos ex Clericis deligeret, admini-
 stranda relicturum. Cum in has condi-
 tiones Pars utraque consensisset, Ibas, &
 quatuor Presbyteri in Ecclesia Cathedrali
 Tyriensi simul Sacra Dona acceperunt.

p. 637.

Nihilominus, ista Reconciliatione
 contempta, illi ipsi Presbyteri, novam A-
 ctionem in Ibam moliti sunt; Reorum e-
 tiam numerum auxerunt, dum simul cum

Hist. Eccles. Tom. VI.

E e Iba

Sæculum V. Iba Danielelem, Episcopum Carrensem, E-
A C. 448. jus Nepotem, & Joannem Episcopum
 Battensem accusarunt. Quatuor Pres-
 byteris quinque novi Accusatores, Albe-
 nius, Joannes, Anatolius, Cajumas, &
 Abib, omnes Clerici, se junxerunt; Con-
 stantinopolim delati, Imperatorem Theo-
 dosium adierunt, & Flavianum Episco-
 pum, qui hujus rei Judicium iisdem E-
 piscopis, quibus prima vice commissum
 fuerat, mandavit, scilicet Photio Tyrien-
 si, Eustathio Berytensi, & Uranio Hyme-
 riensi; hujus enim rei testes sunt ipsius
 litteræ, quas Eulogio, Constantinopoli-
 tano Diacono, ferendas dedit; Impera-
 tor quoque suas Epistolas expediri iussit,
 id ipsum præcipiens; atque iterum, sicut
 antea, Tribuno Damascio curam deman-
 davit, ut imperata exequeretur. (*)

§. XXI.

Judicium Berytense.

Conc. Calced. act. 10. p. 637. Verum hac altera vice Conventum Be-
 ryti, prima Die Sept. eodem anno
 448. egerunt. Aderant tres Judices, Da-
 mascius

(*) Consentio hic Anonymo I. animadver-
 tenti, hæc non solius Imperatoris arbitrio facta,
 & adducenti ex Actis Verba: *Santissimo Archie-
 piscopo nostro Flaviano decernente cum Reli-
 giosissimo, & Christi amante Imperatore nostro,
 & præcipiente apud Vestram Sanctitatem, ut
 quæ nostra sunt, exerceri. &c.*